



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Breviario Concionatorio, Strenæ, Fidelis Prophetissa Concionibus de B. M. Virgine serviens, Conciones Occurrentes & Funebres

Tylkowski, Wojciech

Oliva, 1686

I. Beatam dicit Virginem Abraham; quia illum in fide præcellit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51821)

CAPUT VIII.

Beatam dicunt Virginem Christi D. Progenitores.

1. Beatam dicit Virginem Abraham.
Quia illum in fide præcellit.

Nter eos qui è Veteribus Beatam dixerunt nostram Virginem, Principem locum tenet Abraham. *Exultavit Abraham ut videret diem hunc vidit & gavisus est: quo scilicet S. Virgo illi protulit Redemptorem. Method: Orat: hypop: Cum Maria etenim non desinens lætitia venit. Abraham propter obedientiam suam præcipuè Beatus; quia jussu Dei Filium immolare non recusavit in eoque naturam vicit. Describit factum Chrysost: hom: 3. in 2. ad Cor: Narrat humi prostrata erat cum armis suis, cum universo exercitu, atque ille stabat porrectâ manu non coronam tenente sed enslem quâvis coronâ splendidiorum & Angelorum populus applaudebat & è coelis victorem pronuntiabat. Virgo autem longè cariorum Filium offerebat & longè morte horribiliori & affectu maxima ut descripsimus dum ostenderemus quomodo Redemptioni nostræ cooperata.*

*Querit S. Ambrosius lib. 3. de Virgin. Cur Deus in offerendo Isaac fuit contentus voluntate Patris Gen. 22. In immolanda Filia Jephthes factum ipsum Jephthe admittit? & respondet. Misericordia largior, ubi fides promptior. Non flevit factum Patris Isaac, pro qua devotionis exultatione substituta est ovis Iephthea vero Virgo dum in serum differt misericordiâ, amovet. At quanta Virginis nostræ fides? quam itaque Dei misericordiam devincit? quos filios salvos fecit? Abraham ingressurus Ægyptum oravit Saram. *Dic obsecro quod soror mea sis ut bene mihi sit propterea, & vivat anima mea ob gratiam tuam.* Quæ verba S. Bonavent. expendens orat Virginem. O Sara nostra dic obsecro quod nostra sis soror, ut propterea talem sororem Ægyptij id est demones nos revereantur, Angeli sancti nobis conjungantur, ut Pater, Filius & Spiritus S. nostri misereantur. Sed vide homo, inquit*

Relat

Raban in ult. Mat. Vera fraternitas fratrem veneratur devotum, corripit dissolutum, presentem obsequitur, absentem non rodit, sano applaudit, infirmum non deserit. Non legimus Saram in lite Iudiciana adstitisse Abrahamo, adstat nobis Virgo, ubi legimus Psal. 44. *Adstitit Regina à dextris tuis. Adducentur Virgines post eam.* Chaldrus Paraphraustes. *Stabit Liber legis à latere dexterae tuae, & exarabitur in exemplari splendor tuus velut in auro obryzo.* Liber hic Virgo est ut docet *S. Epiph. de laud. Virg.* Ex hoc libro prodeunt virtutum exemplaria. Ius dirimens lites vocavit *Geometra* nostram Virginem. *Guerricus Abbas serm. 1. de Assumpt.* Nequaquam crediderim majoris esse felicitatis & gloriae in sinu Abrahæ quam in sinu Mariæ degere.

2. Beatam dicit Virginem Isaac cum Rebecca.

Quia Virgo peperit.

Regnum Israelis fundaturus Deus tres elegit mulieres steriles, quarum unam Abrahamo Gen. 18. aliam Isaac Gen. 25. tertiam Jacobo Gen. 30. dedit. Isaac 40. annis Virgo, 20. maritus, & tamen non nisi sexagenarius factus per Rachelem Pater. Hanc autem Providentiam ait *Chrysost. hom. 49. in Genes.* adeptum est genus illud quia Christus D. Unigenitus Dei Filius inde secundum carnem nasci debebat, cuius in hunc mundum regius fuit introitus. De hac sterilitate Rebecca *Rupertus in 25. Gen.* Quia Donum Dei erat, & non ex hominibus, ut in femine Abrahæ omnes gentes benedicerentur, decebat sic ad dandum extendi Dei manum, ut ad cognoscendum non dormitaret ingratitude hominis. Sterilitatem orando vicit Isaac Gen. 25. *Deprecatus est Isaac Dominum pro uxore sua, eo quod esset sterilis, qui exaudivit eum & dedit conceptum Rebecca.* Voluit Divina bonitas nasci Mariam, sed voluit veluti arcam 3. Reg. 6. esse inter duos Cherubim, quorum uterque aureus & sterilis esset, unus maris alter foeminae imagine arcae assidentes, scilicet ex aureis Joachim & Anna prodire, sed sterilibus. Oravit Joachim ut Deus sterilitatem Annæ auferret ut scribit *Hieron. lib. de ortu Virg.* Isaac in duobus filiis, duos populos, & in duobus populis duo regna accepit. Joachim in una Filia: omnes populos & regna omnia.

3. Beatam dicit Virginem Jacob, quia illo ampliozem accepit benedictionem.

Describit Sacra historia Gen. 25. modum quo Jacob emittit benedictionem à Fratre